444

444
E 8

E

8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

KW 444 E 8. 44.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE Minoribus v. & xx. An. in Integrum Reſtituendis.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,
Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academiâ Lugd.-Batavâ Profeſſoris Celeberrimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Juridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

ABRAHAMUS DE PAPE, Lugd.-Batav.

Die 9 Ianuarii, horâ ac loco ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Viris Spectabilibus.

D. FLORENTIO CAMPER, Med. D. parenti chariſſimo omni laude digniſſimo.

D. THEODORO CAMPER, Hujus urbis Notario & procuratori illuſtris Colleg. Rheno-l: ſolidiſſimo, Affini, honorando.

D. WILHELMO VERGENST, Mercatori vigilantiſſimo, tutori Chariſſimo.

D. ISAACO BALDE, apud Amſtel. Mercatori ſplendidiſſimo.

D. PETRO BALDE, ibid. Mercatori acutiſſimo.

D. JOANNI FLAMMERDINGE, Med. D Nobili & Illuſtri Equiti. omnibus ſuis cognatis omni laude digniſſimis.

UT ET

D. ANTONIO MATTHÆO, J. U. D. ejuſdem facultatis in Illuſtri Lugd. Bat. Academia Profeſſori ordinario, ſtudiorum ſuorum fundatori, Promotori graviſſimo, in perpetuum colendo.

D. WOLFERDO SENGUERDO, J. U. D. & Philoſophiæ in eadem Academia Profeſſori ordinario, præceptori chariſſimo, vigilantiſſimo.

D. JACOBO GRONOVIO, J. U. D. & in eadem Acad. tum linguæ Græcæ, tum Hiſtoriarum Profeſſori ordinario, præceptori vigilantiſſimo, doctiſſimo, facundiſſimo.

NEC NON

D. JOANNI MULLER, Jeſu Chriſti paſtori fideliſſimo.

D. ANTONIO SCULTINGIO, J. U. D. prudentiſſimo, doctiſſimo.

D. LATERMANNO, J. U. D. Laudatiſſimo, acutiſſimo, digniſſimo.

Quibus omnibus haſce theſes Inaugurales offert.

ABRAHAMUS de PAPE.

Auctor.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGRALIS,
DE
Minoribus v. & xx. An. in Integrum Reſtituendis.

THESIS I.

Iterum diu mihi crucianti animum circa materiæ à me pro more ſolenni Academico enucleandæ delectum, inter varios multoſque ſeſe tandem obtulit, nobiliſſima & utiliſſima procul dubio, reſtitutionis materia; de qua hic quaſdam, quam breviter quæſtiones proponere, animum induxi, tum ipſius effectus, tum quando obtineat, tum etiam quando denegetur.

Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Reſtitutio igitur ab Imp. *in l. 2. C. in quib. C Reſt. nec non E.* definitur, quod ſit cauſſæ amiſſæ redintegratio, vel etiam priſtini juris reive ſtricto jure amiſſæ ex æquitate prætoria, legitima de cauſſa impetrata, præcedente cauſſæ cognitione, reparatio. *d. l. 2.* eam ſine dubio ob cauſſam introducta, ut aut reſtituatur actio, aut obligatio infringatur, ſi cauſſæ, quæ ſubeſt, æquitas ſuffragetur. Magna profecto, imo maxima hujus tituli utilitas eſt, adeo ut ne ullo quidem modo & ratione egeat commendatione, cum ipſe ſe oſtendat, ut loquitur JCtus. in *l. 1. ff. de in integ. Reſt.* nam ſub hoc titulo plurifariam prætor, vel metu compulſis *l. 1. ff. h. t.* vel dolo adverſarii. *d. l. 1.* aut ætatis lapſu circumſcriptis. *l. 1. §. 1. ff. de minor.* vel abſentia, vel ſtatus mutatione. *l. 2. ff. de cap. min.* vel juſto errore aut alia de cauſſa, quæ excuſationem meretur, in captionem incidiſſe ſe dicant, ſubvenit. *d. l. 1. de in Integ. Reſt.* & tum in integrum priſtinumque ſtatum & conditionem, in qua fuerant ante captionem, reponuntur, perinde ac ſi nullum negotium geſtum eſſet, & ut dicit Paulus. *in l. 5. ff. eod.* Neminem videri excluſum, quem Prætor in integrum reſtituturum pollicetur. Reſtituere igitur eſt aliquid reddere. *l. 75. ff. de verb. ſig. l. 68. ff. de Rei Vind.* ſeu ut dicit *d. l. 75.* reſtituere, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet. Sed omnes reſtitutionum, propter materiæ prolixitatem. cauſſas tractare, longe alia mihi mens eſt, ſed de tertia & ſine dubio utiliſſima, tam breviter, pro mei ingenioli modulo, quantum fieri poteſt, proponere quædam animus eſt.

F I.

Primo enim ſciendum eſt, quod non niſi cauſſa cognita detur. *l. 3. ff. de in Integ. Reſt.* quando vero alia actio citra reſtitutionem competere poteſt, & ſi communi auxilio munitus ſit, hoc extraordinarium ei tribui neceſſe non eſt. *l. 16. princ. ff. de minor.* niſi forte aliud ſit melius, expeditius, aut pinguius. *l. 1. C. ſi adv. Rem. Jud. Carpzov. p. 2. c. 11. d. 34. n. 7. & 8. l. 3. C. ſi adv. lib.* Rævard. ad ll. XII. Tab. c. 7. DD. *in l. 3. §. 1. ff. de op. nov. nunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

nunt. ſi vero ultra dimidium læſus eſt, poteſt uti remedio ordinario ut ex. *l.* 2. *C. de Reſcind. Vend.* aut etiam ſi propter rationem ſingularem ceſſet, vel ſi ipſo jure tutus eſt. *d. l.* 3. *C. ſi adv. lib.* vel ſi aliud æque commodum ipſi competat remedium. *l.* 16. *ff. de minor. l.* 12. *ff. de Adq. Hered.* aut ſi contractum nullum geſſerit, quia quod nullum eſt, nullum parit effectum vel ſi res immobilis ſit alieuata, ſine cauſſa aut decreto, alienatio enim tum nulla eſt. Præterea examinanda eſt læſio & cauſſa, an quidem veræ & non falſæ ſint, quarum nomine ſubveniri æquum eſt. *l.* 3. *ff. de in Integ. Reſt.* Alia enim cauſſa juſta eſt, videlicet, quando innocentia probata, alia gratiæ, quæ ex indulgentia principis conceditur. Deinde vel ordinaria juris civilis; ut ex. *l.* 2. *C. de Reſcind. Vendit.* vel extraordinaria juris Prætorii. ut hæc Hah. ff. eod.

III.

Lege autem Lætoria minoribus 5. & 20. An. læſis, circumſcriptis, & lapſis ſubveniri cautum erat, à qua lege in jure civili adoleſcentiæ ætas perfecta, id eſt 5. & 20. An. legitima dicitur, ut conſtat ex *l.* 2. *C. Theod. de Donat.* ſic enim appellatur in *l. ex duobus* 27. *ff. de Neg. Geſt. l.* 32. *§.* 2. *inf. ff. de Teſt. tut. l.* 1. *ff. de Fidej. tut. l.* 77. *§.* 14. *ff. de leg* 2. *l.* 20. *§.* 1. *ff. de liberat. leg. l. ult. in fin. ff. de appell. l. pen. C. quando Di. leg. Ced.* & in aliis plurimis locis. Ex hac lege originem fontemque duxiſſe videri poſſet, Cic. *l.* 3. *de Off.* ubi circumſcriptio adoleſcentium vindicabatur, ætatique fraudibus expoſitæ ſuccurrebatur. Spartia. in M. Ant. Philoſ. vita. Ubi quoque minoribus 5. & 20. An. curatores dandos continebatur. Suet. ubi etiam 5. & 20. An. minores ſtipulari vetabatur, i. e. ut Priſc. l. 8. & 18. vertit & interpretatur ἐπερωτᾶσθαι. & ut vulgo dicitur ſpondendo obligari. Eo etiam Plautus. in Rud. reſpexiſſe videtur.

— Cedo qui cum habeam judicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis nive etiam dum ſiem.
Quinque & viginti annos natus.

 Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Idem in Pſeud.

Tum lex me perdit quina vicenaria,
Metuunt cedere omnes.

etiam legitima vocatur in *l.* 39. *ff. de Minor.* & hæc ætas ſtatus appellatur, & *ἀκμὴ in l.* 77. *§.* 14. *ff. de leg.* 2. quia tum eſt creſcendi finis, quare & perfecta, plena, integra ætas in jure vocatur, & quæ ſequitur *ὑπέρακμη* nuncupatur, quia hæc continua corporis perturbatio tum conquieſcit, ut ait Ulpianus & Hippocrates. l. 5. *ἀφορισμῶν.* comitiales morbos accidentes ante pubertatem, ætatis mutatione ſanari, accidentes 5. & 20. An non item: Et ante id tempus magis eſt obnoxia ætas læſioni, & propter fragile ac infirmum animi conſilium multis inſidiis & captionibus expoſita ut dicit. *l.* 1. *ff. de Minor.* Reſtituuntur enim ſive filiif. ſive patresf. ſive maſculi ſive fœminæ.

I V.

Triplici fere modo minor læditur ſecundum *l.* 44. *ff. de Minor.* vel enim quod habuit, amittendo *l.* 40. *l.* 27. §. 3. *d. t. l. un.* C. C. *ſi Adv. Uſucap.* vel commodum & emolumentum, quod adquirere & habere potuiſſet, omittendo. *l.* 7. *§.* 6. 7. *l.* 8. *ff. de Minor.* vel ſe oneri imparem, aut quod ſuſcipere non licuit, obligando. *d. l.* 44.

V.

Videndum enim an ob rem minimam detur, Reſp. non dari, ſed denegari; ſed ob rem mediocrem, neque enim ſolet Prætor temere reſcindere, quod bona fide actum eſt. & præcipue quidem ſi majori ſummæ vel rei præjudicium fieret, non enim ob eam cauſſam; quod Prætor minima non curet, ſed quia hoc tantummodo juſtum eſſe credendum eſt, quo nihil fieri poteſt juſtius. Æquius enim eſt, & rationi convenientius eſt eum manere in minima re vel quantitate læſum, qui vult

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

in integrum reſtitui, quam ob minimam rem vel quantitatem majori præjudicari. Quæ enim ſit res mediocris, de ea ſatis claram & perſpicuam definitionem dari haud poſſe arbitror, ſed propter rem mediocrem dari & concedi veroſimile eſt per. *l. 6. ff. de Minor.* Minoribus, inquit, xxv. An. ſubvenitur per in integrum reſtitutionem, non ſolum cum de bonis eorum aliquid minuitur; ſed etiam cum interſit ipſorum litibus & ſumptibus non vexari. *& l. 27. §. 1. verſ. item ex diverſo ff. h. t.* Si minore pretio quam opportebat vendiderit adoleſcens, emptot quidem juberi debebit prædia cum fructibus reſtituere, juvenis autem eatenus ex prætio reddere, quatenus ex ea re locupletior eſt. Neque vero diſtinctionem facit lex, an vero magna an mediocris circa pretium fuerit læſio. Ant. Gabriel. de in Integ. Reſt. concluſ. 1. ſed relinquendum judicis arbitrio puto. Menochi: 2. Arb. c. 75. Pinell. ad l. 2. p. 1. c. 1. n. 26.

VI.

Quæritur au Doctor Juris minor 5. & 20. An. poſſit in integrum reſtitui *Reſp. Aff per. l. 1. C. Q. & Adv. Q. l. 1. §. ult. ff. de Minor* verba. *l. 1. C.* ita ſe habent. In conſilio quidem cognoſcentis de reſtitutione in integrum eſſe oportet, numis qui ſe minorem 5. & 20. An. læſum eſſe dicit, diligens pater familias fuerit, actibuſque publicis induſtrium ſe docuerit, ut lapſum eum per ætatem veroſimile non ſit. Verum ſi cauſſa cognita circumventus deprehendatur: propter hoc ſolum velut præſcriptione, à ſolito auxilio removeri non debet. Ex quibus verbis legis ſatis abundeque probatur, eum eſſe reſtituendum. Induſtria enim, diligentia, juriſperitia, non excludunt aliquem à beneficio reſtitutionis. DD. LL. Ulp. *in d. l. 1. §. 3, ff. de Minor.* Et ideo hodie in hanc uſque ætatem adoleſcentes curatorum auxilio reguntur, nec ante rei ſuæ adminiſtratio eis committi debet, quamvis rem ſuam bene gerentibus. bene *Cic. l. 2. de Off. in f.* De quærenda, inquit, de pecunia collocanda, etiam de utenda, commodius à quibuſdam optimis viris ad medium Janum ſedentibus, quam ullis Philoſophis, ulla in-

Scho-

Schola diſputatur: & ſi tamen cauſſa cognita deprehendatur captus eſſe à ſolito auxilio eum removendum non eſſe arbitror. *d. l. 1. C. Q. & Adv. Q. & d. l. 1. §. 1. ff. h. t.* Quæcumque enim tribuatur peritia adoleſcentiæ, tamen captionibus obnoxia, & quædam conſilii infirmitas eſt adjuncta.

VII.

Quibuſdam jam, ex quibus datur cauſſis, perſpectis, jam breviter videndæ ſunt, ex quibus denegatur. Primo in delictis denegatur, ut ſi furtum fecerit, vel aliud quid admiſerit, cum infirmitas animi malos mores non excuſet. *l. 1. ſi Adv. Del.* quatenus tamen dolus adeſt, quia delicta impunita manere non debent. *l. 51. §. 2. ff. ad l. Aquil.* cum is indignus eſt legum beneficio, qui in eas delinquit. *l. 48. §. 1. ff. de Rit. Nupt. l. 36. ff. ad l. Jul. de Adult. l. 6. C. ad l. Cor. de Sica. l. 7. C. de pœn. l. 37. ff. de Minor.* Niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit, cum ut vulgo dicitur quod excuſetur à tanto ſed non à toto, & fere in omnibus pœnalibus judiciis, ætati, & imprudentiæ aliquo modo ſuccurritur. *C. ult. d. Sent. Excom.* Propter ætatis defectum, in qua fuit commiſſus exceſſus. rigor manſuetudine temperandus eſt, nam uti, ut vulgo dicunt, minor eſt culpa, ibi etiam minori pœnæ locus eſſe debet, igitur delinquentibus lenienda videtur interdum minoribus pœna.

VIII.

Nullo etiam modo & ratione reſtituitur minor, ſi major 20. An. gnarus ſuæ conditionis, venundari ſe paſſus ſit, ad pretium participandum. *l. 9. §. 4. ff. de Minor.* ſuæ Conditionis ignaro, ratio rationis eſt, quia res non capit reſtitutionem, cum publicum ſtatum mutat. Deinde ad delictum aliquod pertinere videtur, propter fraudem, quæ latet & ſubeſt, in delictis enim, ut ante di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

dictum eſt, minor non reſtituitur, & de gener animus ejus facit iſtam odioſam venditionem, qui ſe ad pretium participandum venundari paſſus eſt, rem inæſtimabilem pretio ſubjiciendo, ut plane is ſervus fieri mereatur, & rationi optime conveniens videtur, quod lex homini improbo animo decipiendi alterius, turpiſſimum lucrum captanti, hanc quaſi irrogat pœnam, ut ſervus efficiatur: *d. l. 9. §. 4 ff. de Minor.* quia propter mutationem ſtatus, ut ante dictum eſt, res non capit reſtitutionem. *l. 21. ff. de Stat. Hom. d. l. 9. §. 4.* ubi Bartal. Bald. aliique. Cujac. *ad. l. 3. ff. eod.*

IX.

A beneficio reſtitutionis excluditur, ſi veniam ætatis à Principe impetraverit. *l. 1. C. D. His. Q. V. Æt. Imp.* quæ maſculis 20. An. fœminis 8. & 10. metas completis, conceditur, cujus formula extat apud Caſſiod. l. 7. & firmata ætas à Conſtantino appellatur. *in l. 1. C. Theod. t. eod.* dummodo illam ætatem recte probent, ac honeſtatem & frugalitatem. *l. 2. Princ. & §. 1. C. de Hiſ. Q. V. Æt. Imp.* quia per ejuſmodi ætatis impetrationem minor eſt factus major. *d. l. 2. & tot. T. C.* reſtitutio enim tum denegatur, quia alias impetratio nullius foret effectus, niſi cauſſa ſit talis, quæ majori faceret indulgere reſtitutionem, venia enim ætatis in favorem minoris introducta, favori enim pro ſe introducto poteſt quis renuntiare. *l. pen. C. de Pactis.* Si tamen is, qui petiit veniam ætatis, & poſtea obſervans, ſe non ſatis ad res ſuas gerendas & adminiſtrandas aptum, tum poteſt iterum reſtitui per. *l. 1. ff. 1. de Minor.* Scota. D. 21. t. 9.

X.

Cæterum ne perpetuo jura in incerto eſſent, bono publico reſtitutionis petitio certo ac definito tempore concluſa eſt; & olim quidem anno, hodie vero eſt quadriennium conceſſum. *l.*

fin.

ſin. C. de Temp. in Integ. Reſt. Myſing. cent. 1. obſ. 51. ſpectat autem tantum tempus ad minores & majores ex juſta cauſſa reſtituendos, quorum ſit tantum mentio in *d. l. f.* non vero ad reſtitutionem ex cauſſa metus aut doli, cui ſunt definita tempora, & niſi fallor, non mutata. *l.* 14. §. 1. ibique Cujac. *l. 6. ff. de min. alien. jud. Mut. l.* 9. §. 1. *ff. Q. Falſ. Tut. Auct. l.* 2. §. *f. de Cap. Min.*

XI.

Effectus reſtitutionis eſt, ut unus quiſque jus ſuum recipiat. *l.* 24. §. 4. *ff. de Minor.* quaſi nihil geſtum videatur, & ut in damno non debeat morari minor, qui reſtituitur, ita nec in lucro, nec cum alterius damno & incommodo locupletari. *l.* 27. §. 2. *l.* 22. *ff. de Minor.* Bacch. c. 13. n. 1. Eo enim fieri debet fieri modo reſtitutio, ut ille, cum quo contraxit in damno non ſit, ſed quicquid ex contractu ad eum pervenit, reſtituere teneatur, in quantum eſt factus locupletior. *d. l.* 24. §. 4. *l.* 40. §. 1. *ff. eod. & l. un. C. de Reput. Q. F. J. Jud.* Scot. d. l. Zoes. n. 36. *l.* 7. §. 5. *inf. ff. h. t.*

Atque hæc ſunt benevole lector, quæ in medium inauguralis diſquitionis proferre mens mea fuit, quæ ſi perlegere non dedignatus fueris. Te, ſine, exoremus, ut veniam nobis largiri velis, ſi forte ex jucunda materia, impetus nos alibi nimiæ brevitatis, quam tamen ubique affectavimus, aut provexerit aut rapuerit, vel ſi hi expectationi veſtræ, conatus non reſpondeant, nobis profecto haud plane; & oleum & operam perdidiſſe videbimur, licet hoc qualecumque fuerit ingenioli excercitium, æqui bonique conſulas, oro atque exoro.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Erudito Viro-Juveni

ABRAHAMO DE PAPE,

Cum Muſicæ victoriæ deportata laurea Themidis vates renuntiaretur,

A rdua Theſpiadum cupiens perrumpere clauſtra,
B ellaque Caſtalii viſere templa chori.
R egnat ubi gratæ doctæque opulentia linguæ,
A rguto reſonant & juga ſumma melo.
H ic repetit totos multo conamine niſus,
A c, niſi conſcenſo vertice, nulla quies.
(M ulta quidem gravis concedunt munera alumnis,
U t tamen acquirant hic ſibi ſudor erit.)
S ic tua ſedulitas, ſic indefeſſus agendo,
D os animi ſtudiis ſe vovet ingenuis.
E n ſitus in bivio fueras dum ſubdola Circe
P ellicere ad partes te cupit illa ſuas.
A ſt tibi virtutis placuit decurrere callem,
P ræmia qui curæ grandia triſtis habet.
E rgo age de tanto capias molimine fructus,
Et cingat crines laurea digna tuos.

ita plaudebat

J. D. Mol.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 8